



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XV. Quid sit sensus literalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis, inaccessatum est enim cor populi huius. Quem locum ex limbo eodem modo recitari ab Euangelista. Constat enim fuisse commune, & natium vitium obdurationis populo Israel, quod multo antea testatus fuerat Dominus Exodi 22. 33. & alibi his verbis: Populus iste dura cervix est. Quare mirum non est, si hoc idem vitium in Iudæos, quibus Christus loquebatur, quasi naturaliter esset transfusum, sicut de peccato hypocritis dicebamus, ut ita in illis recte diceretur impleta prophetia Isaia in eum sensum, quo superius testimoniū explicauimus. Propheta enim vitium hoc Iudæis sui temporis ita tribuebat, ut commune esse populo diceret, ac proinde quasi natium; quare quodammodo etiam prophetauit, quod Christo prædicanti illorum posteris, euentum erat.

Huius vitij quasi hæreditaria transfusio in eo populo 4. Reg. cap. 17. pulchre describitur: Et testificatus est Dominus in Israel, & in Iuda per manum omnium prophetarum, & videntium dicens: reuerimini a vris vestris peccatis, &c. qui non audierunt, sed indurauerunt cervicem suam iuxta cervicem patrum suorum. qui noluerunt obedire Domino Deo suo, & Stephanus in Actis Apostol. cap. 7. inquit: Dura cervix, & incircumcisi cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resististis; sicut patres vestri & vos: & Dominus Luc. 11. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi occiderunt eos, scilicet Prophetas, vos autem occidere vultis dominum prophetarum, de quibus Matthæus 23. cap. dixit: Verumamen implere mensuram patrum vestrorum, de quo testimonio plurā l. 3. de Adoratione disput. 3. c. 5.

CAP. VI.

Variis usus Scripturæ per accommodationem.

15. **O**bservandum tamen est hoc genere tractandi Scripturam per accommodationem non solum posse usurari verba, & sententias, sed etiam afferri exempla, & historias ad suadendam virtutem, & vitia detestanda. Quomodo autem verbo accommodatio fiat, ex dictis perspicuum est: historiarum vero tunc per accommodationem afferuntur, quando ita solā ad exemplum deseruiunt, ut in illis rebus gestis ex intentione Spiritus sancti non sit mystica aliqua significatio, de qua disp. 15. dicimus, & hæc est vna differentia inter historiam, quæ sensum mysticum continet, & eam, quæ per accommodationem in exemplum affertur: altera est, quod mysticus sensus semper continetur in historia diuersæ rationis, exemplum vero ex rebus eiusdem naturæ solet interdum per accommodationem adduci.

De hoc genere accommodationis intelligitur illud ad Rom. 15. Quæcumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus. Ut enim Paulus persuaderet Romanis, vniquemque placere proximo suo in bonum, adduxit exemplum Christi, Qui non sibi placuit, &c. Et statim subiungit verba, quæ retulimus. Christi autem exemplum solum letuit per accommodationem: nobis namque, ut inquit Petrus 1. Epist. cap. 2. reliquit exemplum, ut sequamur vestigia illius; & tamen in Christo, ut in figura non continebatur id, quod Paulus suadere curabat, tanquam mysticus sensus. Eodem modo intelligitur illud 1. ad Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis, scilicet Iudæis: quoniam enim

ibidem refert Apostolus, Iudæos in Moyse baptizatos esse in nube, & in mari, & omnes eandem etiam spirituales manducasse, & eundem potum spirituales bibisse de petra, quæ erat Christus, in quibus mysticum sensum baptismi, & Eucharistie non possumus non intelligere: id tamen, quod inferius subdit, Omnia in figura contingebant illis, non ad hos mysticos sensus, sed ad illud, quod proxime præcesserat, refertur, videlicet, Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto: continuo namque subiungit. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, neque idololatra efficiamini. Sicut quidam ex ipsis. Plura etiam alia recenset supplicia, quibus enumeratis repetit illa verba: Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram. Paulus igitur eo loco non intelligit per figuram, eam, quæ continet mysticum sensum, sed exemplum, quod per accommodationem plurimum valet ad suadendam, idcirco dixit, Ad corruptionem nostram.

CAP. VII.

Quomodo Scriptura per accommodationem utilis sit ad arguendum.

EX dictis licet colligere id, quod ad nostrum pertinet institutum; nimirum hunc locum per accommodationem nullius esse momenti ad veritates, & dogmata nostræ fidei comprobanda: quia sub ea litera nec primarie, nec secundarie, ex mente Spiritus sancti sensus ille continetur: Hoc vero dixerim, quando accommodantur verba, & sententia solum: historiarum enim accommodationes, ex quibus ducitur argumentum, quod ab exemplo aut à simili vocatur, præterquam quod plurimum valent ad persuadendum amorem virtutis, & odium peccati, in morali quoque materia efficaciter conducunt ad demonstrandum, quidnam liceat, vel prohibeatur sit. Hoc genere argumentandi usus est Christus Lucæ 6. ubi exemplo Danidis, qui ob instantem necessitatem panes propositionis comedit, excusauit factum suorum discipulorum, & à malitia Phariseorum defendit: deducens inde verum intellectum præcepti de obseruatione Sabbathi. Hoc eodem modo in 2. l. de Adorat. imag. disp. 5. c. 2. probauimus, cultum, & honorem rerum inanimatarum sanctum esse, eo quod ex præcepto Domini arca testamenti in veneratione, & honore semper fuerit. Contra vero ea, quæ adducunt hæretici ab exemplo, ad probandum non licere cultum, & adorationem Sæctorum, quæ primo aspectu aliquid probare videntur, à nobis sufficienter explicata sunt lib. 1. d. 5. cap. 3. & sic in omnibus alijs materijs, de hoc modo Scripturæ per accommodationem, sententiam est.

DISPUTATIO XV.

Quid sit sensus literalis.

Sententia Lyrani. cap. 1.
Opinio Abulenſis. c. 2.
Verior sententia de sensu literalis. cap. 3.
De sensu literalis parabolarum. c. 4.
Corollaria præcedentis doctrine. c. 5.
Regula ad eruendum sensum literalem. c. 6.

F. CAP.

Accommo-
dare expli-
catue Pau-
lus.

Sensus ac-
commoda-
tius, hoc
primarie
n. secun-
dario est ex
monito spi-
ritus sancti.

17.
Historiarum
accommoda-
tiones
quantum
valent.
Luc. 6.

Historia
quando per
accommoda-
tione affe-
rentur.
Distinguitur
inter mysti-
cum sensum
& accommoda-
tionem.

ad Rom. 15.

16.

1. Petri 2.
Ex. prop. ium
Christi per
accommoda-
tionem
solum rebus
affertur.

1. ad Cor. 10.

Essē sub eadem litera Scripturæ sacræ sensum reconditum, quem mysticum, seu spiritualem appellant, & alium sensum literalem, Patres, & Scriptores Catholici disput. 13. cap. 2. allegati constanter affirmant. Sed quid sit sensus literalis, quid vero mysticus, & spiritualis, & quocumque, inter ipsos non satis videtur convenire: neque inter eos verborum solum, ut quidam putant, sed rerum etiam dissensio est. Singulorum igitur sententias distincte, & fideliter referemus, ex quibus postea veritatem eligere, difficile non erit. Priori autem loco de sensu historico, seu literali, quod sit velut fundamentum, & basis sensus spiritualis, & mystici, agendum nobis est. Dixi literalem, seu historicum, his enim duobus modis etiam à Patribus nuncupatus, qui pro eodem, & literam, & historiam accipiunt, confundentes rationem communem cum particulari. Omnis enim historia, est sensus literalis, non contra.

De sensu ergo literali prima sententia est Lyrani, qui in illo tertio Prologo Postillæ Bibliorum sensum literalem proprie inquit esse, qui per voces ipsas significatur; mysticum verò, qui per res vocibus significatas exprimitur. Subiungit deinde, aliquem locum Scripturæ sacræ sensu literali catere, solum spirituali contentum, quoties Scriptura vitur metaphora, seu parabola: veluti cum dixit Christus Matth. 5. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam*: & Iudicum 9. *Terunt ligna, ut vngerent supra se regem, &c.* Probat autem, quia alias sequeretur sensum Scripturæ falsum esse, vel absurdum: nam si esset aliquis sensus literalis, ille esset, qui verbis proxime significatur: absurdum enim esset dicere manum corporis esse abscindendam, & ligna sylvarum eligere voluisse sibi regem. Sensus igitur illorum locorum est tantum spiritualis, rebus ipsis proxime significatus, non verbis: per manum enim significatur proximus, à quo separari debemus, si scandalo nobis est: per ligna vero sylvarum significatur viri Sichem, qui ad eligendum sibi regem convenerunt. Quocirca iuxta mentem huius Doctoris, ut aliquis dicatur sensus literalis, non satis videtur, vocibus proxime significari, sed opus est, ex intentione Spiritus sancti ita vocibus exprimi, ut ad aliam rem significandam voces non transferantur: quod si aliqua translatio contingat, hic auctor nullum sensum literalem simpliciter, & proprie sed solum mysticum talis loci esse putat.

Hæc est sententia Lyrani quam recentiores Theologi alio modo, non secundum mentem ipsius intellexerunt. Confirmari autem potest primum ex Cassiano collatione 8. cap. 3. vbi, ut ostendat, varias efficas humano intellectui in divina Scriptura velut in puteo conuiuio ministrari, ait, quædam ita significatione literæ plana, ac luculenta resplendere, ut cum sublimiori interpretatione non egeant, simplici tamen literæ sono abunde pascantur audientes, ut est illud: *Audi Israel Dominus Deus tuus Deus vnus est*: & illud, *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Deuter. 6. & continuo subdit: *Quædam autem, si allegorica explanatione extenuata non fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutem hominis cibum sine corruptionis labe perueniunt*. Huiusmodi dicit esse illud Luc. 12.

Sine lumbi vestri præcincti: & Matth. 10. *Qui non accipit crucem suam, &c.* Et propterea monachos imprudentia insinuat, qui simpliciter, non secundum scientiam, hunc locum intelligentes, fecerunt sibi cruce lignas, quo non ædificationem, sed risum videntibus intulerunt. Senti igitur Cassianus, quosdam Scripturæ locos, ita spiritua-liter esse intelligendos, ut si solum iuxta literam intelligantur, non afferant animæ salutem, sed necem: atqui sensus Scripturæ, etiam literalis, nunquam noxius, sed semper salutaris est. Aliquis igitur locus literali sensu caret, & solo spirituali contentus est.

Secundo Greg. 4. Moral. c. 1. & 2. docet, aliquos Scripturæ locos, qualis est ille Job. c. 1. *Pereat dies, in qua natus sum*: secundum corticem ipsius literæ intelligi recte non posse, sed spiritum ibi esse requirendum.

Tertio, Chrysost. homil. 39. in Ioannem, in illud: *Si ego testimonium perhibeo de me, &c.* ait non esse verbis nudis insistentem.

Quarto Hieron. in c. 11. Isaia, illa verba: *Habitabit lupus cum agno*, ad intelligentiam spiritualem refert, & secundum literam non esse accipiendam contendit. Idem censet de illo, Isaia 29. *Libanus in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur*.

Quinto omnium clarissime id docere videtur Origenes lib. 4. Periarthron cap. 2. in principio vbi affirmat, Iudeos eo deceptos, quod multa de tempore Messie secundum historiam prædicta futura exspectabant. Huiusmodi dicit esse illud Isaia 11. *Habitabit lupus, &c.* & homil. 2. in Genesim circa finem ita scribit: *Sed quia non semper in Scripturis diuinis historialis consequentia stare potest, sed nonnunquam deficit: ut verbi causa, cum dicitur: Spina nascitur in manu ebriosi, &c. propter hæc, & hic similia non solum tri-camerata, sed & bicamerata arca contextitur, ut sciamus in Scripturis diuinis non semper triplicem, quia non semper nos historia sequitur, sed interdum duplicem tantummodo sensum expositionis insertum. Quibus sane verbis sententia Lyrani discrete expressa videtur. Vbi etiam obseruandum est, Origenem appellasse historiam, non rerum gestarum narrationem, sed literalem sensum, iuxta id, quod initio notatum est: nam in eo testimonio, quod secundo adducit, non aliud genus historię, quam sensus literalis continetur.*

Denique non obscure id ipsum tradit Ambros. lib. 5. in Lucam c. de missione discipulorum Ioannis, his verbis, *Non simplex intellectus in simplicibus est verbis, alioquin presentibus superiora compingunt. Quomodo enim Ioannes quem in superioribus Deo monstrante cognouit, hic nescit? Et paulo inferius, itaque si intellectus simplicis forma compingunt, spirituales quæramus figuram. Appellat siue debio simplicis formæ intellectum, quem nos sensum literalem, seu historicum dicimus: spiritalem vero figuram, sensum mysticum vocat. Cum ergo Scriptura non debeat pugnancia inter se continere, locus huiusmodi ex sententia Ambrosij simplici intellectu, hoc est, literali sensu carebit. Huc etiam spectare videtur, quod inquit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 5. *Cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias: ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus, litera occidit, spiritus autem viuificat.**

Abulenſis. Secunda ſententia eſt Abulenſis in c. 13. Matth. 28. ſi textus illius emendare legatur; ubi docere videntur ſenſum literalem ſacra Scriptura illum eſſe, quem auctor ſignificare voluit, ſive iſtis vocibus proxime, ſive remote, & proxime per res iſtas vocibus ſignificatas. Hanc ipſe appellat hiſtoriam latiore ſignificatione non autem eam ſolum, quam voces primo ſignificant, tunc vero hiſtoria eſt proximam ſignificationem, quando voces in propria ſignificatione uſurpantur: tunc autem remotam, quando metaphoriſe accipiuntur, vel aſſeruntur ad parabolam aliquam, v. ſapienter contingit: proximum enim ſignificatum earum vocum, quæ metaphoriſe uſurpantur, vel in parabolam aſſeruntur, quod proprie per iſtas voces denotant, & in cortice literæ continetur, exiſtimant non eſſe ſenſum literalem Scripturae, quia non eſt ex intentione Spiritus ſancti, Verba Abulenſis in ea quaerit 28. hæc ſunt: *Senſus literalis eſt ille, quem litera facit, & etiam videtur hiſtoricus, quia per illam ſignatur nuda hiſtoria, quam Scriptura refert, accipiendo hiſtoriam large pro omni eo, quod ſignificatur immediate per literam Scripturae, ſed (non) illud, quod auctor ſignificare voluit: quod dicitur propter parabolas, & metaphoraſ, quia id quod ſignificatur ibi in cortice literæ non eſt ſenſus literalis, ut cum dicitur: Oculi Domini ſuper iuſtos, quia non eſt ſenſus, quod oculi Domini ſint ſuper iuſtos, q. 12. ſenſus literalis ſemper eſt verus, & tamen falſum eſt, quod Deus habeat oculos: literalis autem ſenſus eſt hic, quod Deus ſemper habet curam de bonis. Hæc Abulenſis. Quibus ſecum pugnantia docere videtur: imprimis enim dicit, hiſtoriam latiori ſignificatione, quæ reddit ſenſum literalem, eſſe id, quod immediate litera ipſa ſignificatur, non autem id, quod auctor exprimitere voluit: in quo videbatur ſecutus ſententiam Lyrani. Deinde dicit, ubi eſt metaphora, vel parabola, ſenſum literalem eſſe, non qui eſt ſub cortice, ac ſi diceret non proxime ſignificatum, ſed eum, ad quem denotandum voces transferuntur, ut in teſtimonio allegato ſatis apparet. iuxta expoſitionem ipſius Abulenſis: ut autem ſibi conſtaret, dicere deberet, in eo loco, ubi eſt metaphora, nullum eſſe ſenſum literalem, ſicut dixit Lyranius.*

Ego quidem puto in ſcriptis Abulenſis errorem irrepreſſibile incuria Scriptorum, qui negationem illam virgulis clauſam, in priorem partem ſententiæ reiſcere deberent, hoc modo: Accipiendo hiſtoriam large (non) pro omni eo, quod ſignificatur immediate per literam, ſed illud, quod auctor ſignificare voluit, &c. Sic vero ſententia Abulenſis optime conſtat, & eſt, quam in hoc cap. retulimus: ſed quia hoc pacto confundere videtur aliquando Abulenſis ſenſum literalem, & myſticum, nam myſticus vocibus iſtis ſemper remote, rebus autem proxime deſignatur, ut ex communi ſententia inferius patebit: Ideo in ea quaerit 28. & quaerit 37. in 2. cap. Matth. & alijs locis ſuperius citatis, Niſi 13. cap. 1. docet nullum unquam ſenſum myſticum ex intentione Spiritus ſancti ſub aliqua litera contineri, ſed omnem ex cõcionatorum arbitrio, & voluntate pendere, qua ratione licet ex eius ſententia literalis aliquando reconditus ſit, & ſecundarie ſignificatus, non eſt dicendus myſticus.

Referri poſſet pro hac ſententia S. Thomas in 4. ſup. q. 1. part. 1. Tom. 1.

hoc articulo ad tertium, ubi ſic ait: *Senſus parabolicus ſub literalis continetur: nam per voces ſignificatur aliquid proprie, & aliquid figuratiue, neq. eſt literalis ſenſus ipſa figura, ſed id quod eſt figuratum: non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, eſt literalis ſenſus, quod in Deo ſit membrum huiusmodi corporale, ſed id, quod per hoc membrum ſignificatur. Scit ergo in eo caſu, per nomen illud Brachium, membrum proxime ſignificari, & per membrum Dei potentiam, ac proinde nõ proxime, ſed remote Dei potentiam, voce ipſa denotari.*

CAPUT III.

Verior ſententia de ſenſu literali.

Ceteri Doctores in vnam omnino ſententiam, quæ mihi probatur, conuenire videntur, quæ a nonnullis recentioribus Theologis plures alie referantur: ea vero eſt, ſenſum literalem, ſeu hiſtoricum eum eſſe, quem auctor Scripturae Spiritus ſanctus, per verba ſub propria, & uſitata, ſive metaphoriſe ſignificatione primum ſignificare voluit. Hanc definitionem, aut ei dem verbis, aut paucis mutatis tradiderunt S. Thomas in hoc articulo in corpore, addita ſolutione ad tertium, & recentiores Theologi in hanc eundem articulum. Docet enim S. Doctor, parabolicum ſenſum, quæ voces per translationem primo ſignificant, eſſe literalem; non autem quem voces illæ translate abiq. translatione ſignificant. Conſentient Burgens. in additione ad vtrumq. Prologum Lyrani ad 1. dub. & in ſolutione argum. principalis quaſtionis, Alphoſus de Caſtro lib. 1. aduerſus heret. c. 3. Driedo lib. 1. de ſacra Scriptura c. 2. S. xtus Senenſis, 2. Bibliot. Sanct. c. 1. A. iam in præſatione ad commentaria Iſaie. Oportet tamen definitionem poſitam amplius explicare. Cuius gratia notandum eſt diſcrimen inter ſenſum myſticum, & hiſtoricum ſeu literalem in vniuerſum: vtriuſque enim comparatione, & differentia deſignio prædicta illuſtrabitur. Omnes igitur Doctores proxime allegati, & cum eis Abulenſis ipſe, dicunt myſticum ſenſum nunquã verbis, ſed rebus proxime ſignificari, ita ut verba, ſub quibus eſt, primum ſignificent rem aliquam, deinde res illa ſignum ſit alterius, quam dicitur myſtice, & ſpiritualiter denotare: ideoque vocatur myſticus, ſeu ſpiritualis, quod intrinſecus in rebus, quaſi reconditum myſterium, & quaſi ſpiritus in corpore lateat. Literalis autem eſt ille, qui vocibus iſtis, vel proprie, vel metaphoriſe primo ſignificatur.

Hoc iacto fundamento ſuper eſt, ut tres præcipuas partes definitionis exponamus, quarum declaratione tota deſinitio fiat manifeſta. Prima eſt particula *Primum*. Hæc autem a nobis poſita eſt propterea, quod ſenſus literalis primo vocibus, nõ rebus ſignificetur: ſicut cõtra myſticus proxime rebus, remote vero, & ſecundo vocibus iſtis. Hanc particulã nullus poſuit præter Driedonẽ, & Adamum; ex omniũ tamen ſententia manifeſte colligitur. In eius autem explicatione obſervandũ eſt, voces, quæ propria habent, & metaphoriſe ſignificationem, ita duas res ſignificare, ut nõ ordinate vnam per aliam, ſicut contingit in ſenſu myſtico, & literali eiũdem loci, ſed vtramq. ex æquo proxime deſignent: ſicut equiuoca eodem nomine ſignificantur niſi, quod alterã rẽ primã impoſitione proprie denotant, alterã vero ſecundaria, & metaphoriſe, quæ dicitur translatio, qua nomẽ à primã ſignificatione, & impoſitione ad aliam nouam trans-

Senſus literalis deſignat.

S. Thom.

Burgens.

Alphoſus de Caſtro.

Driedo.

S. xtus Senenſis.

Adamus.

Diſcrimen inter literalẽ & myſticum ſenſum.

Senſus literalis vocibus iſtis primo, non rebus deſignatur.

Driedo.

Adamus.

Abulen.

transfertur, ac proinde in prima non manet. Quo fit, ut secundam rem illam proxime etiam translatione significet. Exemplo Abulenſis, *Oculi Domini super iustos*, &c. id explicare possumus: ibi enim Scriptura per nomen *Oculi*, non denotat primo instrumentum corporeum videndi, & per tale instrumentum intellectum, cum dicat, *Oculi Domini*, & in Deo non sit tale instrumentum: significat ergo proxime intellectum Dei quem per translationem, oculum appellat, quod instar corporei instrumenti à nobis concipiatur. Quamvis ergo in eadem voce sit secundaria veluti impositio, quæ est translatio; nunquam tamen est remota significatio vnius rei per aliam.

Castro.

Neque vero contra hanc doctrinam est id, quod dicit Alphonsus de Castro, videlicet, sensum literalem multis modis haberi, aliquando ex nuda vocum significatione: intelligit autem, cum proprie usurpantur; aliquando non à vocibus ipsis, sed à rebus per voces significatis: id quod de metaphorica significatione intelligit: his enim verbis non contendit ille sensum metaphoricum, qui interdum est literalis, vocibus remote, proxime vero rebus significari, sed sensum illum sumptum fuisse ex rerum similitudine, propter quam voces ipsæ ad secundariam significationem translate metaphorice aliquid designant: in quem modum suam sententiam ipse paucis explicavit. Eodem pacto intelligerem S. Thomam in illa solutione 7. quam pro sententia Abulenſis retulimus, siquidem in corpore plane docuit, sensum literalem esse, qui vocibus significatur: mysticum vero contra, rebus ipsis denotari, quod idem est, atque vocibus significari remote.

10.

Secunda pars definitionis, quæ debet explicari, est, *Sub communi, & visitata, aut metaphorica significatione*: quæ sane posita est, ad excludendum sensum mysticum: hic enim, cum denotetur vocibus ipsis remote, proxime vero rebus, interdum non potest significari verbis in communi, & visitata, neque in metaphorica significatione acceptis: sicut cum dixit Scriptura, Ionam fuisse in ventre Cæti tribus diebus, visitata vocum significatione exprimitur historia Ionæ: Christus autem in sepulchro non denotatur visitata significatione, nec metaphorica vocum, sed proxime rebus ipsis, nempe historia illa Ionæ; vocibus autem remote, quatenus visitata sua significatione historiam Ionæ significant: Dixi *interdum*, quia nonnunquam etiam mysticus sensus referri potest ad voces in communi significatione, quando videlicet tam de historia, quam de mysterio proxime in visitata significatione enunciari possunt. Quale est illud *Osee 12. Ex Aegypto vocavi filium meum*, quod tam de populo Israel, quam de Christo in communi vocum significatione dici potest: uterque enim dicitur filius, & ex Aegypto vocatus. Si tamen coniungatur ijs, quæ antecedunt, & sequuntur, proxime solum significat populum Israel, ad quem tantum ibi verba referuntur: Christum vero remote medijs rebus, scilicet medio populo Israel, ut superius explicatum est.

11.
Sensus mysticus inter alia ad voces in communi significatione referri potest.
Osee 12.

Ultima particula definitionis est, *Quem auctor Scriptura significare voluit*, hoc enim necessarium est, ut aliquis sit sensus literalis, tametsi non sufficiat, ut falso putavit Abulenſis: nam ut sequenti

Abulenſis.

disput. monstrabimus, mysticus sensus, qui literalis dici non debet, ex intentione Spiritus sancti simul cum literalis sub eodem loco continetur; id ergo non sufficit, ut aliquis sit sensus literalis; requiritur tamen, ut necessarium: nam cum contingat eadem voce aut oratione, varia proxime significari posse, ut in ijs, quæ proprie, & metaphorice solent usurpari, necessario dicendum est sensum literalem vocis, aut orationis esse, quem auctor proprie, aut metaphorice exprimere voluit: cumque auctor præcipuus Scripturæ sacræ sit Spiritus sanctus, ut sensus literalis sit, necesse est, ut ex intentione ipsius exprimat. An vero Scriptor ipse noverit omnem sensum literalem, & ex intentione ipsius pendeat, disput. 17. dicemus. Quamvis ergo prædicta particula non sufficiat, cum alijs tamen optimam complet definitionem.

CAP. IV.

De sensu literalis parabolarum.

DE sensu vero literalis parabolarum, utrum sit ille, qui adducitur in similitudinem, & exemplum, an ille, ad quem parabola ipsa applicatur, sub dubio relinquere videtur Alphonsus de Castro loco allegato, inquit enim, *Ceterum de sensu parabolarum, qui cum intra literalem circumspicere voluerit, non abs re faciet: si autem nollet, non obolo.* Ceterum cum ex particula definitionis paulo ante explicata sensum literalem esse constet, qui primum vocibus ipsis significatur, facile colligitur sensum parabolarum eum esse, qui in exemplum adducitur. Sed primo observandum est in parabolis duas esse partes alteram rei, quæ affertur in similitudinem: alteram vero, quæ applicat ipsam: prior est quasi historia; posterior est quasi explicatio sensus mystici, & reconditi. Prior igitur habet rem illam sensibilem, & rudem, quæ est quasi historia, pro sensu literalis: secunda vero pro sensu literalis habet mysterium, & rem spirituales, ad quam applicatur parabola. v. g. cum dicitur Matth. 13. *Simile est regnum celorum fermento, quod acceptum mulier, &c.* literalis sensu vere significatur factum mulieris, quæ ex fermento, & farina massam præparat, ut fiat panis, & hæc est res quæ in exemplum adducitur in priori parte parabolæ: at posteriori parte, in qua continetur applicatio illius, literalis sensu denotatur verbum Evangelij, & efficacia illius; qui sensus potest mysticus dici si ad priorem partem referatur, eo quod in re sensibili reconditus sit; sed relatus ad posteriorem partem parabolæ reuera est literalis.

Secundo notandum est, aliquando in Scriptura fieri applicationem parabolarum, aliquando eas expresse non applicari; tunc autem subintelligitur posterior pars, ad quam applicari deberet parabola, & illa habet suum sensum literalem, ut proxime explicatum est; hoc modo Christus aliquando ad turbas loquebatur, & in genere solum parabolam applicabat, sicut Luc. 7. dixit; *Simile est regnum celorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, &c.* applicationem vero distinctam parabolæ discipulis tantum exposuit. Est etiam quædam alia, & satis longa parabola in Scriptura, quam usurpavit Salomon in Canticis Canticum, ubi introducit Sponsam, & Sponsam sub personis pastorum, & verba amoris dulcissima inter

Sensus literalis necessarius debet esse: in omni ab auctore scripturæ.

12.

Castro.

Sensus parabolarum est ille, qui in exemplum adducitur.

13.

Applicatio parabolarum mysticus, & literalis sensus dici potest.

Lucæ 7.

Quis sit sensus Canticum Sponsæ literalis.

COS,

eos, ut sub ea parabola, & exemplo sensibili ostendat spiritualis amoris suauitatem inter Deum & animam, Christum & Ecclesiam: est ergo ibi duplex sensus, alter rei, quæ adducitur in parabolam & hic est materialis, nempe res quasi gesta inter pastores, non quod reuera ita acciderit, sed quia adducitur in parabolam, ut sub illis personis id, quod spirituale est significetur: ut cum dicit Sponsus ad sponsum c. i. Dic mihi ubi pascas, & cubes in meridie: & Sponsus respondet, Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigium gregum tuorum, &c. Quibus sponsa interrogat de tugurio, ubi in meridie sponsum à solis ardore regebat: & respondet ille: Si ignoras te, &c. id est, Si nescis, sine abire greges tuos, & hædos, ipsi enim sponte gradiuntur in eam partem, in qua me inuenies. Posterioris autem partis subintellectæ, in qua applicanda erat parabola, sensus literalis quem proprie voluit Spiritus sanctus exprimere, est, qui ad spirituales amorem, & charitatem refertur, ut interpretes varie in illum locum explicent.

14. Tercio observa id, quod notauit Alphonsus de Castro ex Aug. nempe non esse ita historiam parabolæ accipiendam, quod se ipsa, ut narratur, acciderit, sed quia saltem eo modo potuerit euenire. Tale est illud Matth. 20. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui primo mane exiit conducere operarios in vineam, &c. Quod enim adducitur in similitudinem, non opus est reuera gestu esse: interdum etiam affertur in parabolam id, quod reuera euenit, vel in naturalibus, quale est illud,

Luc. 13. Simile est regnum cælorum grano sinapis, vel etiam inter homines, sicut parabola illa de fermento. Hi autem duo modi parabolarum frequentiores sunt in Scriptura. Denique nonnunquam deferuntur parabole res alia quæ impossibiles, & fabulose, sicut ludicum 9. dicitur, Iuerunt ligna, ut vincerent sibi regem, &c. Hoc tamen rarius accidit. Quocunque tamen modo afferatur parabola, sensus illius quo ad priorem partem semper verus est, licet re ipsa id, quod narratur, non euenit: imo neque euenire potuerit. Quia id, quod in parabolam proponitur, non recitatur semper tanquam id, quod reuera acciderit, sed quasi euenire potuerit, vel saltem supponitur ac si esset possibile, cum reuera impossibile sit: ut instat illius facti in rebus etiam inanibus, aliquid morale inter homines melius exprimitur: in quo nullum mendacium est, sicut neque in eo, quod quis afferat fabulam, ut ex ea morale sensum eliciat.

CAP. V.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

16. EX præcedenti doctrina colligere licet. Primum, falsam esse sententiam Lyrani, quam c. 1. retulimus, cum asserit, sensum literalem proprie esse, quem voces exprimunt, ac proinde Scripturam carere aliquando tali sensu, quod asserit propter metaphoras. Fallitur autem, quoniam ubique est parabola, sensus literalis est ille, quem in posteriori impositione, & translatione verba significant, hunc autem proxime vocibus designari, ac proinde mysticum non esse, ut putauit Lyranus, nec rebus ipsis deponari, sed vocibus, c. probatum est. Magis autem absurdum est Scripturam aliquando carere sensu literalis, id quod præter rationem allatam sic ostenditur. Quoniam

Vasquez in 1. part. Tom. 1.

Scriptura semper aliquid significat, aut proprie, aut metaphoricè: proprium autem sensum, literalem esse nemo dubitat: de metaphorico autem probatur hac ratione. Nam sensus spiritualis, & mysticus ita appellatur, aut quia lateat quasi mysterium, aut sicut spiritus in corpore non appareat: atqui metaphoricus sensus non etiam latet: sed vulgo etiam notissimus est, & ex antecedentibus, & sequentibus iuxta subiectam materiam facile intelligitur ab omnibus in ea lingua peritis. Est enim metaphora translatio quadam, & quasi posteriori nominis impositio, vel extensio: at sensus mysticus, cum contineatur sub rebus, quæ communiter non significant, nisi prout Scriptor arbitrio suo illas usurpat, non est omnibus notus, sicut metaphoricus, sed quasi mysterium, & spiritus latet in rebus: sensus igitur metaphoricus mysticus non est, sed literalis, quo saltem Scriptura nunquam caret.

Ad Patrum vero testimonia pro sententia Lyrani allegata, respondeo, eos nonnunquam appellare sensum spirituales illi, qui sub metaphora continentur, quod sit quodammodo sicut spiritus in corpore, sub priori vocum significatione conclusus; vocant etiam allegoricum, ut disputatione sequenti c. 3. dicemus. Tunc vero corticem literæ dicunt esse ipsas voces in prima sua significatione, à qua transferuntur: sic autem nonnunquam deficit historia, ut dicebat Origenes, proprie tamen, & presse sensum metaphoricum esse literalem, & huiusmodi sensum saltem nunquam in Scriptura deesse satis probatum est.

Deinde ex dictis non minus colligitur deceptum fuisse Abulensem, cum absque ratione putauit, sensum metaphoricum significari remote vocibus proxime vero rebus: ut enim paulo ante monstrauius, vox usurpata metaphoricè non denotat rem illam, quam priori impositione, & proprie significabat; sed ita transfertur ad aliam rem significandam, ut eam solum exprimat: proxime ergo, & non remote illam significabit: ut cum dico, ridere pratum, non significo risum hominis, & per illum virorem prati, sed proxime ipsum virorem, quem risum appello. Peius autem errauit Abulensis, cum dixit, sensum mysticum quemcumque in Scriptura contineri, ex sola hominum voluntate illa vrentium, non ex intentione Spiritus sancti: id quod fusius sequenti disputatione confutabitur.

CAP. VI.

Regula ad eruendum sensum literalem.

AD inuestigandum autem vetum sensum literalem alicuius loci, in primis præ oculis habendum est id, quod admonet Concilium Trid. sess. 4. decreto de vñu sacrorum librorum, quantæ nimirum sit auctoritatis communis Patrum consensus: nulli enim licet in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium contra vñanimum consensum Patrum sacram Scripturam interpretari.

Secundo maxime conducit linguarum peritia, quæ ea moderatione seruire debet, ut Vulgatam nostram editionem pro viribus defendat. Phrasibus etiam consueta ipsiusmet Scripturæ bene intellecta viam aperit ad intelligentiam ipsius. Itaque collatione facta, & lectione assidua Scripturæ fit, ut ipsa se explicet.

F. 3. Ter.

Metaphoræ quid.

Patres pro opposita sententia allati explicantur.

Origenes.

Abulensis decepto.

271

Conc. Trid.

Non licet contra consensum Patrum Sacram Scripturam interpretari.

Linguarum peritia vñu.

Scholastica
Theologia
& historia
multum con-
ducit.

Tertio plurimum refert Theologia Scholasti-
ca, Conciliorum definitiones, historia etiam hæ-
refum ad eam saltem partem Scripturæ intellige-
dam, quæ circa dogmata nostræ fidei versatur:
quare si quis sola linguarum peritia instructus, &
assidua Scripturæ lectione exercitatus epistolæ
Pauli, præcipue quæ est ad Rom. & Galatas, ex-
planandas susciperet, in maximo periculo versa-
retur.

Contextus
diligenter
observandus.
18.

Postremo tandem curandum est contextum
cuiusque Scripturæ noui præcipue testamenti ob-
seruare. Quamvis enim Prophetis familiare sit re-
lictio argumenti, quod susceperant ad alia myste-
ria digredi, cū ipso spiritu prophetico rapiuntur:
in nouo tamen testamento hoc non contingit,
præsertim vero in epistolis Apostolorum, quæ cū
in tradendis documentis morum, & doctrinæ
versentur, vno contextu argumentum proposi-
tum sequuntur, suo tamen ordine alia inde dedu-
centes. Plurimum autem conducit ad totam con-
textus seriem ordinandam vim particularum, qui-
bus Scriptores vtuntur, intelligere: atque de
causali, enim, hoc vnum est obseruandum, quod
solet non mediocrem difficultatem ingerere, vi-
delicet non semper referri ad proxime præceden-
tia, sed ad ea, quæ ante dicta fuerant: hoc autem
statim apparet, quoties proxime præcedentibus
particula non quadrat: alias vero regulas expli-
candi Scripturam longius exponere, nostri iusti-
tuti non est.

DISPUTATIO XVI.

De sensu mystico & spirituali.

Quid sit sensus mysticus. cap. 1.

Quotuplex sit sensus mysticus. cap. 2.

Quatuor sensus Scripturæ exemplis illustrantur. cap. 3.

Corollaria præcedentis doctrinæ. cap. 4.

Quomodo mysticus sensus utilis sit ad arguendum. cap. 5.

CAP. I.

Quid sit sensus mysticus.

Definitio
sensus my-
stici.

QVIDNAM sit mysticus, seu spiritualis sensus
ex superiori disputatione patet: est enim,
iuxta communem sententiam doctorum, quos
ibi commemorauimus, ille, qui nec proprie, nec meta-
phorice vocibus proxime significatur, sed qui sub
rebus significatis per voces, quasi sub umbra, &
figura conclusus est: ob quam rationem mysti-
cus, hoc est, arcanus, & reconditus dicitur: spiri-
tualis vero vocatur, quod lateat sub rebus, sicut
spiritus sub corpore. Ad maiorem autem huius
definitionis perspicuitatem pro fundamento im-
primis statuendum est, internum mentis conce-
ptum non solum vocibus proprie, aut metapho-
rice usurpatis, sed rebus quoque alijs significari
consueuisse, vt patet in symbolis, & hierogly-
phicis Aegyptiorum, in ape enim, quæ aculeum,
& mel habet Regem misericordia, & iustitia præ-
ditum significabant, & in id genus alijs. Ex qui-
bus rebus Pythagoras, alijsque insignes philo-
sophi multa salutaria documenta ad morum in-
structionem tradebant, quæ prouerbia vulgo di-
cuntur.

Rebus non
vocibus tan-
tum res signi-
ficari solent.

Pythag.

Scripturæ
peculiaris
est sub hi-
storia mys-
ticis pro-
dote.

Cæterum, quamuis hoc ita sit, vera est nihilo-
minus sententia, quæ dicit, peculiare esse sacræ
Scripturæ, sub eadem litera historiam & myste-

ARTIC. X.

rium continere. Quam sententiam expressit Gre-
gor. lib. 20. moral. c. 1. cum asserit, sacræ Scriptu-
ram hoc alijs omnibus præstare scientijs, quod
eodem sermone, dum narrat textum, prodit my-
sterium. Idem docuit S. Thomas in hoc artic. &
quod lib. 7. art. 8. longe enim alia ratione mystica
significatio in rebus ipsis apud sacræ Scripturam
reperitur, quam apud Ethnicos philosophos vn-
quam fuerit.

Gregor.

S. Thom.

Quam differentiam, vt clarius exponamus, no-
tandum secundo est, tria esse genera signorum,
quibus res significari possunt. Primum est vocum.
Secundum est rerum inferiorum, quæ pro arbi-
trio conficiuntur, vel etiam vere gestæ ad res maiores
significandas adducuntur: & vtroque modo com-
mune est etiam hominibus significare res alias, vt
de Hieroglyphicis Aegyptiorum diximus, qui vel
animalibus, vel alijs etiam rebus fictis res miras
exprimere solebant. Tertium genus est, quo solus
Deus in Scriptura vtitur, rerum scilicet, quæ vere
inter homines acciderunt, quarum historia ipse
voluit denotare mysterium, quod multis postea
annis futurum erat. Talis fuit reuocatio filiorum
Israel de Aegypto, qua significabatur Christus
multo postea tempore ex Aegypto reuocandus.
Manna etiam cadens de celo, quod non solum pa-
uit populum 40. annis, sed indicare voluit Eucha-
ristiæ sacramentum futurum, & id genus alia. Hoc
tertio genere signorum sensum mysticum conti-
nere, & sicut dixit Gregor. historiam narrare, & ea
mysterium exprimere, Scripturæ sacræ proprium
est. Et quamuis homines inter se ipsos rebus et-
iam gestis vt possint: hoc tamen solum ab eis fit
post factum, adducendo eas in parabolam, exem-
plum, aut similitudinem. Scripturæ autem pro-
prium est, non solum vere gesta in parabolam af-
ferre, sed etiam ea ita narrare, quæ vere gesta sunt,
vt auctor Scripturæ altiora mysteria futura deno-
tare velit.

Signorum ge-
nera tria.

2.

Greg.

Nota dif-
ferentiam hanc.

Tertio obseruandum est, sensum mysticum
non semper in Scriptura rebus inferioribus ex-
primi, sed interdum etiam res inferiores maiori-
bus significari. Christi namque passio extra por-
tam repræsentat id, quod minus est, vt notauit
Paulus ad Hebræos 13. scilicet, Vt exeamus & nos
extra castra, in proprium eius portantes: frequentius
tamen rebus inferioribus superiores denotantur.
Postremo, vt commemorati Doctores in disp. 13.
admonent, sensus mysticus non est in omni loco
Scripturæ querendus: præcepta enim, & consilia
Euangelica, ita sunt ad literam intelligenda, vt
nullus in ea litera spiritualis sensus contineatur.
In alijs etiam locis quilibet sensus mysticus, iuxta
sensum cuiusque explicatus non debet statim cen-
seri ex mente Spiritus sancti, qui est præcipuus au-
ctor, significari: tamen hic vsus Scripturæ, sicut
etiam accommodatius utilis in concionibus
cenferi debeat.

Res mino-
res maiori-
bus intrin-
sicè in Scrip-
turæ signifi-
cantur.
Ad Heb. 13.
3.

Sensus my-
sticus non
semper qua-
rendus.

CAP. II.

Quotuplex sit sensus mysticus.

QVOTUPLEX vero sit hic sensus mysticus, non
statim videtur constare inter Doctores: qui, li-
cet diuersa dicant, sibi tamen non aduersantur.
Sensus igitur Scripturæ vniuersim consideratus
duplex est, alter literalis, seu historicus; alter spiri-
tualis, seu mysticus: quorum differentia in genere
hæc-